Kargolewski Marci Antonii: Asylum famae periclitantis D. Ioannes Nepomucenus.

ASYLUM

Famæ periclitantis

D. JOANNES NEPOMUCENUS

Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis

CANONICUS

Thaumaturgus, Martyr, Christi Regni Bohemiæ & famâ periclitantium Singularis

PATRONUS.

Dum

Confraternitas Literatorum sub Titulo Assumptionis B. V. M. Solennes gratiarum actiones D. T. O. M. pro Decreto Canonizationis Ejusdem Sancti publicè in Ecclesia S. Adalberti in Circulo Cracoviensi perageret.

A

M. MARCO ANTONIO KARGOLEWSKI in Alma Universitate Cracoviensi Phiæ: Doctore & Professore devota Panegyri.

DEMONSTRATUS

ANNO quô

Genus humanum Cœlesti Asylô protectum

1729. Die 5ta Martij.

CRACOVIÆ

Typis Iacobi Matyaszkiewicz S. R. M. Typographi.

In
Stemma Gentilitium Domûs
GARLICCIANÆ



1mum:

Stemmatis in facie fulget GARLICCIA Staffa
Si petitur quare? ſtemmate cauſa patet.
En patitur ſævos hoſtes Eccleſia multos
A quibus haud etiam, Lechia tuta manet.
Staffa notat Sacros Templi Patriæq́; fideles
Propugnatores, quos fovet iſta Domus.

Nicolaus Awedyk
Auditor Rhetoricæ.

2dum:

GARLICIANA Domus fœlix quæ ſtemmáte tanto
Gaudet, tum mentis fertur ad Aſtra Poli.
His meritis quoniam Cæli lætantur & Orbis
Altius emineant candida vota fero.

Albertus Awedyk
Poeſeos Studioſus.

PERILLVSTRI
&
REVERENDISSIMO DOMINO
STEPHANO
de GARLICE
GARLICKI
Ecclesiarum Chathedralis Kijoviensis
CANONICO,
Collegiatæ Woyniciensis Scholastico,
In
DĘBNO CVRATO, Domino D.
&
Mecænati Amplissimo.

TVtissimum famæ periclitantis Asylum, Thaumáturgus stupenda vitæ sanctimoniâ miraculorũq; celebritate IOANNES, *sacrô Canonizationis suæ decretô felix* NEPOMVCENVS *ex Oratoria præsentatus exedra Tuis se insinuat manibus* Mecænas Amplissime. *Gratiosus quippe Nominis*

minis Illius Ethymus Tuis beneficis superadditus factis bene correspondet Vox IOANNES *cum Tuis vocalibus meritis aut sonantiora aut vocaliora faciet. Nec tantum ex Te est, quod apud Te hoc Cæleste Asylum situari elegit cui & perantiqua Domûs Tuæ complacuêre fundamenta. Avitū Tuæ Domûs* Strenorum *Stapedum ab initijs per devia currenti Lechico Marti, coævum esse veterum exempla testantur; præsens sæculum veneratur. Tua peraugusta Domus Sarmaticam vel vindicare vel ejus tueri Famam sui muneris esse duxit. Nolo primas peramplæ Tuæ familiæ ducere lineas quibus sæcula in puncta abiêre. Nolo exanimatis Tuorum Prædecessorum bustis Tuam animare famam, quam Tua merita post fata eorum superstitem faciunt. Nidum Lechicæ Aquilæ revolvere viderer, si prima Tuæ Prosapiæ incunabula invenire attentarem. Non placet Tibi fumosis Antecesorum delectari imaginibûs, nec Tua esse dicis quæ Illi fecére, licet Tua sint. Ex Te ipso Atavorum Ideas legere quisq; potest, quas in Te uno cum virtutum Cerussa felicior Nobilissimi Sangvinis colore delineavit Lucina. Tota se in te Parentum Tuorum*

trans-

transfudit probitas quorum Nomina cum fuerint supra pennam humili non audebam attingere stylo, Sed cum Te loquor totum Illorũ explico elogium. Magnum in Archivo Domûs Tuæ Clenodium magno pretio valorem Tui exornat, ad productam Familiæ Tuæ spectans lineam Perillustris & Reverendissimus Dominus Dominus STANISLAVS BOREK *Gnesnensis & Cracoviensis Canonicus vir factis Suis celeberrimus alta mentis Sapientia Novus nostri sæculi Apollo, collectarum Musarũ Pantheon, Quem dum meritissimum veneror Prælatum penna in demissum abit stylum, tanto Nomini impar. Attollitur meritîs altioribus honorum insignibus Caput Ejus, quod Ille inter raræ modestiæ nubem condit. Invenient tamen honores hanc Ejusdem de qua cõcurrunt virtutem, ut & Ejus Nomini & Tuæ Domus majorem efficiant plausum. Te attingit primum Maternæ Lineæ punctum* Perillustris *olim* & Reverendissimus Dominus CHRISTOPORVS CHRONOWSKI *Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis & Collegiatæ Sandomiriensis Canonicus Magnus Tuus* Mecænas Amplissime *Patruus Trinæ Vavelli Coronæ Vnio præstantissimus cordium & animorum*

deli

delicium. Ex pollice Gygantem ex Te quantus ille erat quilibet metiri potest. Videndum erat animi gravitate conspicuum collecta eruditione stupendum Zelo Divini Honoris ardentem morum virtutumq; comitate Cælo placentem, cunctis fulgentem in exemplum. Hoc vix permittit meminisse dolor quod avara fata tanto Vavelli coronas despoliarunt Clenodio ast hoc meminisse juvat quod eodem ditauere Cælos vivit in Te cui mori contigit ex squalidis mortalitatis ūbris ej9 honorē Tua facta faciunt emicare. Ampliavit Tuæ Domus processū Illustris *olim àc magnificus* CASIMIRUS CHRONOWSKI *Venator Podlachiæ stupuit Lechia mutatum in Casimiro honorem cujus senatûs hostes Patriæ erant quos feras esse putavit, quia in Patriam efferos. Bellonæ illi stadium erat non Dianæ qui maluit ex præda hostili quam ex Venabulo non postremam perpetuantis famæ portionem posteris sæculis præparare. Magnam Gloriæ Tuæ partem quia singularius Domus Tuæ peraugustæ fulcrum,* Illustrem *àc* Generosum Dominum ANDREAM de Garlice GARLICKI *Fratrem Tuum Germanum venerabunda penna humili inhoiat delineare stylo. Hic Vir sole publico dignus*

gnus, honores mereri mavult, quam habere, & videri meritus, quam honoratus. Dotes animi singulariores Illi natura donavit ingenium expolivit facta appretiarunt Si præstantior laus est Principibus placuisse viris Ille cor Magnatum est & magnorum Lechiæ Capitum ocellus. Morum Ejus affabilitas plus quam Magnetica vi, etiam ferreum si esset attraheret cor. Virtus Ejus quid non potest cũ Principum expugnat affectus. Magnatum amorem sibi in triumphum ducit naturam sibi devincivit à qua, tot & tanta corporis & animi recepit bona ut adhuc Palladem conciliaret ei suos magnæ spei filios commendavit, in quibus Pietas superos modestia superiores, diligentia cæteros movet, delectat excitat ad similia Crescent tandem hi surculi eruditis irrigati fluentis in magnum Domus suæ *decoramentum, nec sine certo Patriæ fructu. Tu mihi tandem materia laudis es* Perillustris & Reverendissime Domine Mecænas Amplissime *ultro se penna proripit in Tui elogij cursum cui se meritorum Tuorũ abundantia pro sepia offert. Strepens per æthera fama pro Præcone Dulce est sed & laboriosum ad Tuæ Indolis descendere prætextũ in qua adhuc pumilio*

ſed virtute maturitateq; ingenij Virum agebas. Primævos ætatis annos Craciæ dedicaſti Minervæ nec Gorgoneum Ejus horruisti ſcutũ, quod alij etiam non viſum fugiunt. Tunc delicium erat videre Te Puerum ſcholaſticæ immorantem arenæ, Caſtalijs innatantem fontibus per Tulliana ſpatiantem tempe Philoſophicum navigantem per æquor, honorum attingentem portum. Dic de Te ipſo quantus tunc eras dum Te Studentem Palladem ſtupentem vidiſti, dum cæteros cappacitate ingenij morum elegantia in ſtudijs ſedulitate glorioſior Theopompus Superabas, Virtus Tua Heliconijs lota in fontibus altiorum Te honorum Candidatum fecit. Vltro Te ipſe ambijt honor non ut T E decoraret, ſed ut decoraretur à Te. Cathedralis Kijovienſis Eccleſiæ dignitas Te ſuo gloriatur Canonico quem factis meritisve Tuis exornas. Moleſtus Tibi erat continuus de Te concurſus ideo Zakliczynenſem Præpoſituram quæ Te ſuo lætabatur Prælato ultro dimiſiſti. Sed & hic honor quem reſignaſti glorioſior à Te redijt magno Canonico. Sui fortuna gaudens, quod à Te fuerit quandoq; acceptatus. Eccleſiæ Collegiatæ Woynicienſis

ſis Scholaſticus digniſſimus Scholam virtutum agis, in qua quilibet habet quod diſcat. Liberalitatem Tuam & rarum à ſuperis donum in egenos munificentiam perenni echone Tua facta loquentur famem quod liberali multorũ ſuſtentatione depuliſti eviternã meruiſti famã, hocq; alimento quò bacchante carie multorum indigentiam & hiantia refeciſti ora Tuorum rectefactorum vivere memoriam feciſti. Punctum eſt quod dixi reſpectu Tuorum rectefactorum magnitudinis, ſi plura dicere vellem Tu omnia ſub roſa eſſe jubes quæ in flore eſſe feciſti. Magnus animarum Paſtor es quas doctrinæ pabulo alis virtutum exemplo erudis: Sed de Te tacere mandas Decorẽ Domus Dei adeò dilexiſti ut cuncti ſtuperent elucentem Tuum in cura Eccleſiaſtica in ſuperos amorem magnus in ſacris exedris Orator, fulmina non verba jacis ut vitia virtutibus cedant. Hæc quæ dixi pauca ſunt ſed tamen magnifica quia Tua, Plura quæ feciſti & facis ſupra pennã ſunt, exiguiq; folij margines excedunt. Felicitati honoriq; ſuo adſcribunt magnæ SZEMBECIORVM, IORDANORVM, LIGEZORVM, TASICCIORVM, OSIECCIORVM, IAKLINSCIORVM, STRADOMSCIO-

RVM, CHWALIBOGORVM, CHRONOWSCIORVM, WYSOCCIORVM, MICHALCZEWSCIORVM, GROCCIORVM, IABŁONOWSCIORVM, PAŁVSCIORVM & plurimorum *peramplæ Domus quod Tuæ ſe adjunxere familiæ. Tuam ergo Domum tot & tantis decoribus virtutibûs ac meritîs conſpicuam de Cæleſti ſede proſpiciens Thaumaturgus D.* IOANNES NEPOMVCENVS *ſuam famam Ei adjungere, elegit, dum ad Tuas manus Oratoria gradatione tranſit. Suscipe ergo* Mecænas Ampliſſime *Tullianis coloribus delineatum* IOANNEM, *Ille Tuam faciet perennare famam Tuum Nomen altiſſimis decorabit honoribus, ſuâ lingvâ incorruptâ pro Tuis ſucceſſibus perorabit, millena cum incolumitate Vitæ Cælo mittet ab Alto ſæcula quod ego precor.*

Magni Nominis Tui
Venerabundus Cliens
& humillimus ſervus
Author Operis.

ORATIO.

TOllitis ſtuporem forſitan animô, quòd ad primum Vaticanæ ſedis Nuntium in anguſta hac, ſed primæva Metropolitanæ Vrbis baſilica ſuggeſtum conſcendo Oratorium. A A. Sed decet convenitq; ut Regiæ quondam, nunc omnium famæ ſervator, cui infallibilibûs Vrbis & Orbis decretis Cæleſtes triumphi deſtinantur; habeat ſibi Tullios reſpondentes. Et quamvis publico hoc ejuſdem plauſu Eloquentiſsimi abeant in ſtuporem, vel mea tamen admiratio in expreſſa decet Elogia convertatur. Ad ſerenũ publicæ lætitiæ jubar, ex umbroſo Academi luco prodeat neceſſe eloquentia ex Peripato diſertior accurrat ſvada, ex erudita Stoa ſiſtat ore quã pede prõptior Cyllenius, quando emerita Divi *Ioannis* Virtus Quirinali decretô è Beatorum ſede ad Sanctorum ſolium evocatur. Poſtquam

enim non jam Apollinis tripode, sed certiori BENEDICTI XIII. oraculô *NEPOMVCENÆ* Sāctitatis per Vniversū increbruit fama, in communis plausûs tripudium Europa prosiluit, & pari lætitia nostra Sarmatia assurrexit. Vltra cognatā nobis Bohemiam in latepatentes Poloniæ campos *Sanctus JOANNIS* procedit honos, nec aliter Vrbes, aliosq; cultos hominibûs locos transire satagit, nisi ut ubiq; laudib9 suis campum aperiat Oratorium. Quod dabitur de vocibus verbisq; *NEPOMVCENO*, id Ejus in vectigal cedet silentio, & qui honor exhibebitur Sanctitati, ab servatum id proximi honorem fieri certò arbitremini. Eant assensu vestro in triumphales ignes optimo bonæ Famæ Tutori Oratoria lumina, ideo uel maximè, quia illis Cælestia *JOANNIS* Sidera copulantur. Pleno Elogiorum alveô Tullianum volvatur æquor, quia illi Moldava Fluvius *NEPOMVCENI* Martyrij instrumentum adunatur. Adsit copiosus Isocratis numerus, quando omnibus numerîs absoluta *NEPOMVCENI Sanctitas* illi non deest præsētissima. Verùm & si facundiâ Arpinas essem, ominò ad incorruptam *NEPOMVCENI* lingvam tacere, ad stupendum secreti silentium, nec minimū

loqui

loqui deberem. Quoniam ad *Nomen JOANNIS* quô nemo Surrexit Major humana ingenia decrescunt, ad sigilli Confessionalis servatorem, etiam vocales Pericles obmutescunt. Magnum si quidpiam mente aliquis voluit, Major est noster *JOANNES*, floridum si concipit verborum apparatum, floridior *Sanctitate NEPOMVCENVS*. Habuit quidem triũphatrix Pyrrhi potentia parem Cyneæ in sui præconium Eloquentiam, & victrices Trajani adoreæ Plinium nactæ Oratorem, non defuitq; Claudiani Musa, quæ gloriosum Orbi, uti par fuerat celebraret Stiliconem, sed excelsum *NEPOMVCENÆ* majestatis fastigiũ, ut suppari attingatur elogiô, pridẽ etiã sublimẽdicẽdi svadã noscite excessisse. Si quondam ad profana fictorũ Numinum delubra, non ex omni ligno stetit Mercurius, ad Sacratiorem D. *JOANNIS* statuam ex quo poterit precor efformari. Tendendũ tamen ad supereminens Divorum splendoribûs augustale tendendum, & in sublime *NEPOMVCENÆ* gloriæ culmen enitendum. Vtiq; canoros Olorum sonos pumillæ æmulantur lusciniæ, Aquilarum clangoribus vocales sociantur alaudæ, quinimo ore minori àc ingenio semper non renuunt Numina magna coli:

ideo quamvis Tullianis non ſuppar roſtris, quamvis fluidâ dicendi non inſtructus copia, nihilominus Diviniſſimi Indigetis Sanctos hodie, pridem tamen illi debitos audebo celebrare honores. Vix ita temerarius cenſebitur auſus; qui ſuffragante Adalberti remô ſeſe *NEPOMVCENÆ* gloriæ committit pelago. Periclitantis inſuper famæ partes ſuſcipio, illi D. *JOANNEM* Patrem Tutoremq; eligo, hic remîs veliſq; non deerit, ut ad fortunatas adnavigem Inſulas intentorum. Fama Tytanis Terræq; propago, opinionis comes, auræ communis ſocia, tot expoſita periculis, quot obvia locis. Si mari navigat ſyrtes Charybdeſq; incurrit, ſi terram pervadit, lapides offenſionis non effugit. In aulis Principum vel ad purpuras erubeſcit, ubi candida eſſe deberet palleſcit, ubi ſecura, timet: & ubi innocens Nomini ſuo calumnias videt exprobrari. Exul ubiq; ac exsors planè Scythicas patitur injurias, cum ſecum nullibi fixa Domum debeat circumvehere. Plauſus illi plauſtrum, ſed quàm ſæpe formidandum, quô nunquam Civitatem refugij invenit, toto plane Orbe errabunda. Quare periclitanti ego Famæ de novo providebo refugio, tutiſſimum ab injurijs monſtrabo locum

& na

& ne avernales Furiæ Zoilorumq; illi noceant lingvæ, firmiſſimum præſidium procurabo. Diviniſſimus *JOANNES NEPOMUCENUS* pridem voce populi, noviter Romanîs decretis Sanctus hocce ſuſcipiet patrocinium, quando eundem Famæ periclitantis Aſylum Oratoriâ Panegyri venerabor.

Permittes in primas Sanctitatis Tuæ laudes imbelli prorumpere ſvadæ *JOANNES* Diviniſſime. Ne opprimar, gloriæ Tuæ nolo eſſe comprehenſor, ſufficiet ſi cum periclitanti Fama titubans Eloquentia gratioſum apud Te inveniet Patrocinium. Potens à Nominis cognominisq; ethymo es, valebis pro Nomine Tuo decertanti ferre dareq; ſuppetias. Periclitanti famæ præſto adeſt *NEPOMUCENUS*, adeſte vos laboranti pro *NEPOMUCENO* Eloquentiæ AA. Ille Famæ concedit gratias, vos dicatæ illi ſvadæ favores veſtros non negate.

Vaſtus ſpatiô, rerum congerie repletus, opibûs ditiſſimus orbis, nihil tam pretioſum, tam æſtimandum recenſet, quod meritò inæſtimabili bonæ famæ valori cōparetur. Promat hic terræ viſceribus incluſum aurum, ad ſplendorem id famæ expalleſcet. Exponat pretioſas Neptu-

ni merces ad pretium famæ vileſcent. Oſtentet ſpectatori oculo ingentem Ditis opulentiã, operoſos Midæ theſauros, Attalicas oſtentet opes, omnia hæc ponderoſum famæ talentum prævalebit. Quid pretioſius vitâ, attamen hæc in pignus boni nominis exponi gaudet lætaturq; Veſtram hic generoſæ mentis magni Heroes appello fidem. Nonne veſtrîs incommodis caſtra ſequimini, aciem inſtruitis, adverſîs cõcurritis gladijs, ut in veſtrum triumphum famã boni Nominis deducatis. Vulnera admittitis, ſangvinem funditis, animam agitis, ut ſpiritu famæ æternùm animemini. Advertat igitur glorioſi geſtator Nominis quantum ſit periclitantis famæ diſpendium, quæ etiam pretio vitæ cõparatur. Quinimo amore famæ odiſſe vitam glorioſum, eandem in acquirendo bono nomine amittere, citra detrimentũ. Famam ſi perditam lugemus, vivere quid prodeſt, in ipſa vita tot mortes experimur, quot famæ noſtræ numeramus calumnias Vt opes ſerventur, gazæ thæſauriq; præſto, ut vita conſervetur, tot adſunt propugnacula, etiam famæ providendum, ut ſuum habeat patrocinium. Græciam Achilles, Troiam quõdã tutatꝰ Hector, periclitãti nunc famæ gratioſũ patrocinatur Aſylum D. *JOANNES NE-*

PO-

POMUCENUS. Causam inquiritis? pro illius argumento intaminatæ vitæ videte originem. Nimirum primam vitæ in Oppido Pomuk auspicatur lucem; ut vel ipsa notatione loci Asylum periclitantis famæ denotetur, Materno susceptus ab utero, dum suis natalibûs grandævos recreat Parentes, eodem instanti Pænates suos Cælestium flammarum circumdat splendoribûs: Adesto huc Phæbo dicata cohors, & quid hujusmodi præsagiat Cometes? ominare. Tenellum Infantem si Diviniorem prædixeris, Paridam, non desunt igniferæ tædæ, quibûs pro Troja, vitiorum Metropolim agat in favillas, Si extra fabulam Alcmenæ nuntiaveris prolem, Hydrea detractionum capita funestô rogo tumulabit. Si deniq; periclitantis famæ nominaveris Asylũ, veritatis non excedes Orbitã, quod ad instar mæniorum Sydereîs flammîs circumdatur. Talis ut certius in publicæ præsidiũ famæ, evasisset Infans, hujus Nomine, quô major non surrexit in Sacro insignitur baptismate & bene: Nam sic *JOANNES* & Virtutis magnitudine, & ope gratiarum par surget pro cujusq; fama decertare. Ideo videre erat, qua amænitate ac Parentum lætitiâ à baptismalibus revocatus undis excipiebatur *JOANNES*,

 sed

ſed non abſq; doloris adminiculo, cùm invida tantæ felicitati fata, fatale è cunis Neonato Infanti edolare feretrum molirentur. Deplorandus mortalium ſtatus, cujus fortunæ punctum infortuniô terminatur. Riſus & gemitus alternô redeunt chorô, & gaudiorum meridiem ſæpenumero ſequitur occaſus luctuoſus. Vix enim frontis ſerenum *JOANNIS* explicuere Genitores, en illud mæroris nubibûs temeratur, atq; confeſtim in largiorem ìmbrem reſolvitur lacrymarum. Spectant equidem videntq; luctuoſi, quàm veſano furore funeſtum intumeſcens malum morbido Ariete gratioſum concutit Aſylum, ut ſanitatis fundamentô motum faciliùs expugnetur. Certè ſuo fruſtraretur molimine, niſi caſtrorum Acies ordinata Maria ſuppetias illi ferendo Aſylum *JOANNEM* defenderet. Reviruit tandem in priſtinum vigorem marcidus Infantiæ flos, quem Cælo uſq; ſerenô evocata enixis Parentem Suſpirijs pluvia irrigavit ſalutaris. Firmata tum Divinioris Aſylli mænia, nam hæc langvorũ ariete diruta, prodigioſa Mariæ dexterâ fuerunt reparata. Torques erat Virginis Sacratiſſimæ gratia, quæ jã infantilibus eluctatum cujus *JOANNEM* in ſuas partes attraxit, ut candorem innocentis

Iuven-

Iuventæ immaculato devovens lilio ſacris reddidiſſet obſequentem. Vtinam ſpectaretis AA. qua cordis puritate, oculorum modeſtiâ, mentis ſedulitate, voluntatis promptitudine poſt tyrocinia innocentis vitæ, Miſſæ ſacrificio in dies miniſtrabat. Ille unicum ſervire Mariæ tantũ æſtimabat, quantum nec Imperium promeretur. Verè Aſylum *JOANNES* ad Turris Davidicæ propugnaculum. Verè gratioſus Ille ad gratiarũ pleniluniũ Mariam eluceſcit, Montis Viridis clivum dum virtutis æmulatur celſitudine, hanc mentis magnitudinem cùm ſublimi eruditioni ſociare intendit, non aliunde quàm à Deiparæ ſacrario ad muſarum Palladium, ex excelſo pietatis monte ad Parnaſſi colles deſcendit, quòd prodeſſe hominum famæ natum ſe ſcivit, eò ſeduliùs humanioribus diſciplinis incubuit. Terreant alios ſcientiarum rudimenta, trepident puſillanimes ad diff icultatum farraginem, illam D. *JOANNES* magnanimo aggreſus niſu, hanc mentis lumine diſſipavit. Et licet ad eruditionis ſplendorem non rarò probitatis eclipſatur, claritas, nihilominus *NEPOMVCENI* animus ad ſyntaxeos regulas bene regulari, ad Pòëticos pedes de virtute in virtutẽ tranſire, adRhetoricos flores modeſtiæ vi-

 olas,

olas, patientiæ rosas, castitatis lilia explicare novit *JOANNES*. Gaudebat tanto ingenuo artis cultore Zateciana Pallas, Asylumq; probavit, cui Parnassus ad munimen, Musarum chorus ad præsidium, rotundæ periodi, in globos. Oratoria lumina in pyrobolos cessere, Amplioribûs scientiarum fluentîs conceptam in animo studiorum orexim satiare cupiens, Pragense adit Lycæum, ne solæ Athenæ gaudeant Asylo. Iam D. *JOANNES* eruditione armatus decumanas difficultatum aggreditur phalanges. Iam Philosophico Theologicoq; mari perplexitatum tumescenti procellîs gloriosiùs Xerxe injicit compedes, jam ignorantiæ hostem adeò fugat, ut Pragensis Minerva perfectum testatura victorem, emerita D. *JOANNIS* tempora laurûs coronet ternione. Populetur excelsa turrium propugnacula horrendum fulmen, diruat turrigeras Castellorum moles, Asylum gratiosum tantô Orbis exitio intactũ, quia laureatum triumphabit. Parum erat *NEPOMVCENO* vertici ternas Doctoratûs gestare laurus, nisi etiam Mystarum areolâ vinceretur, ut sanctuario propius Asylum, eò securius periclitanti famæ fieret domicilium, quò majus piaculum esset illud attrectare. Vix

Mystes

Mystes factus, illico vocatione Superûm, populi desideriô ad sacra evocatur rostra, ut emortuas Cælo animas, Ecclesiastico spiritu animet. Tunc in Bohemico Orbe maximè periclitabatur fama, dum sua exemplaria pro virtutum candore, vitiorum fuligine signabantur. Omnipotentis Icones, in avernalia degenerabant monstra. Humilitas superbiæ, castitas luxuriæ, liberalitas avaritiæ, universa deniq; probitas improbitatis assumebat larvam. Tanto malo D. *JOANNIS* prædicatio aderat scopulus, cui malignantis sceleris allisa navis perennē sensit jacturam. Fulmen superbarum mentiū fastus, ad Divorum usq; surgentes palatia humilitatis vallibus impingens, non jam nimbiferum astrum in procelloso Mundi navigantibus mari, vitiosis Navarchis ex lacrymarum imbre tempestatem, ex hac sceleribus naufragium præstitit *JOANNES*, dum ille Superûm tutabatur famam, flagitiosos infamesq; hostes procul amovendo. Videbat id Archipræsuleus *JOANNIS* oculus, ponderatâ in lance judicij *NEPOMVCENA* Virtute, ut eam debito præmiaret honore, *JOANNEM* Canonicum Cathedralis Ecclesiæ creavit. O Beata sæcula! quibûs honorem in donum probita-

 tis

tis abire obſervare conceſſum. ſæpius hic in molles ſybaritarum, quàm in emeritos Catonum volvitur lacertos. Pulchra certè honoris ſpecies, ſi tamen ambitionis habeat fundamentum in genus abit vitiorum, Ortum honorem inter & *JOANNEM* ſingulare certamen, ille Litomericenſem offert Tyaram, hic caput removet, ille Præpoſituratûs Viſſegradenſis exemptam apponit ſedem, hic ab illa declinat. Stetit pro partibus honoris Imperatoria Venceſlai Authoritas, hanc *JOANNIS* modeſtia explicavit. Vicit tandem poſitionem honoris negatione D. *NEPOMVCENVS.* Ne tamen dignitaria fruſtraretur humanitas, Cæſareum libens conſcendit ſuggeſtum, mox vivaciùs Pericle auguſta fulminaturus vitia, & beatiùs dare quàm accipere ſentiendo, Elemoſynarius fieri non recuſavit, tot in ſuppetias habituturꝰ Superos, quot Iros facit ditiſſimos. Placuit hæc Imperatrici *JOANNÆ* D. Aſyli potentia, idcirco unicam conſcientiæ famam per ſecretum confeſſionis eidem concredidit, omnem ſecuritatem ad hujus modi tutamen autumando. Miram *JOANNÆ* prudentiam, quæ adeò tranquillum periclitanti famæ adinvenit refugium, ubi contra infamiæ

dece-

decretum militat præſcriptum. Nimirum ream quantumvis conſcientiæ judicabit teſtis, publicum teſtimonium aſſeret innocentem. Tentaverat opportuno tempore inæſtimabile Reginæ clenodium famam Venceſlai curioſitas adire, ſed intentato exploſus niſu, quia in fortitudinis munitum petrâ incidit Aſylum. Blando primùm ad ſerenum vultûs hoc circumdedit obſidiô, attonita *JOANNIS* maturitas id confundit. Ingentia promiſſionum explicuit munera, ad ſigilli pondus illa viluere. Eluſus itaq; ſuo molimine Cæſar, ab incepto redit opere, grandiores contra Aſylum machinas paraturus. Tanto laſſatus conamine cupit vires reficere, quæ nam illæ ſint. Tyrannis eſt, quà miniſtrum Culinæ, quod malè, ſuo inſerviret palato in victimam Mulcibero deſtinavit. Obſtupuere Aulæ Cæſareæ Proceres ſcythicis vix petitum orîs truculentum edictum. Ingemuit ſubditum famulitium, ad novam Phalaridis barbariem, terrorq; dominatus in omnes. Defuit ne funeſto Neroni Seneca, Davidi Nathan, Hærodi Baptiſta? minimè. Vnus è cunctis Venceſlaum adit *JOANNES* ut crudelitatis nebulas quas Auguſtus contraxit Titan ſcrutaretur. Diſſvadet probitatis Actor infandam cru-

 delita-

delitatis thesim, monstrat Regale sceptrum abire in spectrũ, dum sævitiægenerat scorpiones, malum non Imperatoria præhendendum manu, quod inclementiæ explicat mala, purpurã nõ Cæsareis aptã humeris, quæ atrocitatis tineam conservat. Vtq; nefariam efficaciùs crudelitatis flecteret mentem, à circumstantijs desumptô argumento non contentus, aliud à tremendi Iudicij Divini exemplo in medium majestatis produxit. Obturavit Venceslai aures insanus furor, ne tam salutare auscultarent monitum. Clausit Cæsar oculos ne sacro Oratori annuere videretur. Majora dicam è grano *NEPOMVCENI* verbi, in Cæsarei pectoris agro, pro virtuoso frumento, vitiosa pullulavit herba, dũ gratiosum Asylum in carcerem amandatur. Tulit ferocientem, Venceslai Nemesin *JOANNES*, magisq; carcere, quàm Aulâ, tenebrîs quã luce, abdito quam spectaculo nefarij Principis gaudebat. Mox redditus suæ menti Imperator, cùm ruminat, quantùm adversùs Ecclesiasten suum peccaverat, illum placaturus ad sumptuosas honorificè invitat dapes. Quid ages D. *JOANNES*, huius ne invitationi parebis, qui Divinum despexit mandatum. Asylum gratiosum si es? verendum ne hic Anni-

bal

bal tuæ fortitudinis Alpes non iam aceto, verùm surrentino edomet falernô. Aurea pocula plus quàm ferrea tela sunt, tuo exitui parata. Mapparum candor vix sinceritatis continet umbram, Epularũ ferculis fraudũ condimentũ est admistũ Ipsi argentei orbes non desinent in Tui perniciem rotari. Nempe Imperatoris huius Mater Nemesis, Sorores cum tristi Lachesi crudeles Furiæ, vel exinde conijcite, quia Carnifex Patrinus huic Cæsari vocabatur. Sed majora subiturus pericula *JOANNES*, has terrorum Imagines minimè pertimescit. Deserit claustrũ, serenissimũ petit conclave, ubi humanitatis exhibito homagiô, Cæsareæ assidet mẽsæ. Tractat expectatum hospitem Imperator densas liberali dextera propinat pateras, ut vinario obrutum diluviô Asylum, eò faciliùs vacillet, ad votaq; Augusti inflectatur. Credidit malè perversus Venceslai animus istius modi stratagemma iam sibi prosperandum fore, ideo multis ambagibûs præmissis iterum ad suæ vecordiæ devenit conclusionem. Nimirum periclitantem conjugis famam notitiæ compedibûs ut vinciat, verborũ lenocinió Asylum demulcet gratiosum. Frustra Augustæ tuæ conscientiam Imperator non explora, vinctas hæc in vitæ fœdera dedit ma-

nus, in tuum quidem cessit conjugium, sed partem sui potiorem animum nempe soli DEO reservavit. Quod ad secretum Confessionis defert Tribunal, cur hoc sciendum prætendis. Ne leges Imperatoriæ vim patiantur caves, cur in Divina jura involas? DEI est arcana cordium nosse, exploratorem verò similium crede Imperator non Cæsareum. Falleris nempè opinione Tua Venceslae, tam vesanus periclitantis famæ dispendiô conceptus ad optatum non deveniet effectûs portum. Instrue reciproca Methodo mollia verba duris verberibûs blanditias, minîs permista tormenta instrue. Divinissimus *JOANNES* byssina verba rationum severitate confutabit, lusoria minarum fulmina patientiæ fluctibûs extingvet, tormentorum machinas infractis fortitudinis excipiet murîs. Factũ est quod dixi AA. Nihil profuere Cæsaris postulata, nihil verborum terror, nihil cruciatuũ ostentationes profuere. Attendite quid ultra inflammata machinatur bilis, Asylum gratiosum truci obsidiô ut cingatur demandat. O nefandum sacrilegium! temerario ausu illud violare Asylum, quod speciale privilegium ab humana exemptum malitia testatur. O improbum piaculum! ad immane D. *JOANNIS* sup-

plicium

plicium Superûm attrectare pupillam. Moventur suo locô pro Mænijs Asyli membra, Divinus tamen animus ad desideria Venceslai non movetur. Vstulatur facibûs innocentis corporis propugnaculum, ast hæc Regiæ curiositati in famosum rogum, Asylo gratioso in pyras abeunt triumphales. Superis propitiîs superavit innocentia scelus, sigillum curiositatem, fortitudo tormenta. *JOANNES* Venceslaum, qui triumphale D. *NEPOMVCENI* trophæum ægre ferens indignationis suæ agitatur furore. Tremit, ardet, æstuat, pallet, rubet, micat oculîs, vocem abrumbit, prosilit, in se ungves expedit, Cælum terramq; impugnat, quibûs tegitur ac vivit, corrumpit, deijcit, discerpit. Ita furibunda vexatus rabie, non alio hujusmodi contagio mederi pharmaco svadet malignitas, nisi fatô *JOANNIS.* Audivit indignatio, quod cæca inquietæ mentis suggessit passio, et ut vitiorum mos cunctatione rejecta in Moldavæ fluvium Asylum gratiosum præcipitari jubet, sperans suos furoris æstus his fluctibûs extingvi. Obediunt Imperanti Domino satellites, sub obscurum noctis in frigidas Asylum proijciunt undas, ne periclitanti famæ amplius pateret. Gavisus tanto facinore Cæ-

 sar

ſar, aſt illius Camænæ ſuis abundarunt næniîs, dum auſcultat quomodo Cæleſtes flammæ diſſipatis tenebrîs gratioſum periclitanti famæ manifeſtant Aſylum, quomodo id humanior ipſo Neptunus ad marginem deponit. Exeſte jam ſcelerati niſus, veſtri terminantur in ſultus, poſtquam ex undarum fundo, in excelſum gratioſum Aſylum eluctatur Olympũ, unde majorem periclitanti famæ præbeat tutelam. Adfert documentum illius monumentum, cujus attrectare temerario auſu limites, grandem infamiæ notam eſt ſubire. Vos appello an iniqua ſuſpitione mortalium? an proprio facinore infames redditi, toties utiq; infamiæ periculum effugiſtis, quoties pia oratione ad Aſylum gratioſum ſtetiſtis. Ergo Io triumphe ſeptemtrio, cui Divina benedictione plenus BENEDICTVS XIII. Aſylum gratioſum in ſplendoribus Sanctorum Diviniſſimum *JOANNEM NEPOMVCENVM* hodie proponit adorandum. Et licet Vniverſum ab Aquilone pendeat malum, hoc bonus periclitantis famæ Patronus in fortunatos tranſmutabit eventus. Si quiſpiam gelidus es, ad *NEPOMVCENÆ* gratiæ incalleſces ardorem. Evola in tripudiantis

læti-

lætitiæ plauſus Ales Sarmatica, & Neo coronatum reverenti palpebra intuere Phæbum, illius gratioſo animata radiô, eò audentiùs Polono Iovi Lechicæq; Reip: Polo rebelles fulminabis Gigantes. Non amittes niveum glorioſæ famæ candorem, quem ab infamiæ fuligine *Diviniſſimus JOANNES* conſervabit. Pridem jam ſub Mariæ Patrocinium Literata ceſſit Confraternitas; pridem cultui Mariano addicta, aut mediatricem apud DEVM habeat Virginis innocentiam. Gaudet hæc ad devotam erga Matrem DEI mentem, promptum erga *JOANNEM* habere animum. Vtrinq; firmiſſimum in periculis rebuſq; dubijs Aſylum MARIA & *JOANNES*, utrumq; gratiarum nomen, quid non favorabile? addictis ſibi præſtabit Clientibus. Anguſtis quidem ædibûs Mariæ & *NEPOMVCENI* præhenditur cultus, ſed Cælorum Auguſta promeretur Quidnamq; ab evidentibus Mariæ beneficijs ſortiri non poteſtis, qui & *NEPOMVCENI* ſecretô, Deum erga vos obligatis. Attollite geſtientium gaudiorum portas Craciæ Turres, & ingredientem excipite Sanctitatem, abhinc jam ignominiæ non patebitis inſultibus gratioſo Aſylô

vos ſalvante. Acclina Regiæ Deſensori famæ Regia Studiorum Mater Vniverſitas Cracovienſis ſceptra, & plus quàm tertium computans ſæculum, Tuam *Diviniſſimi JOANNIS* lingva coram ſuperna Regis Regum Majeſtate gloriam promovebit. Lita Academicas Lavros laureato Martyri, & has copioſo protectionis rore irrigabit. Præſto jam adſunt tuo plaudentes honori devotæ mentes, illas patrociniò Sanctarum gratiarum digneris coronare. Pandas protectionem gratioſam & famæ periclitantis Aſylum Omnibus gratioſum apparebis ut hactenus

DIXI.